

Cum P. Africano domi suae conquiescenti.

Hic P. Scipio Aemilianus, ut in proxumae orationis commentario iam locutus sum, cum Latinorum causam societatis iure contra C. Gracchum triumvirum eiusque collegas perseveranter defensurus esset, ne ager et ipsorum 5 divideretur, repentina morte domi suae interceptus est non sine infamia et ipsius C. Gracchi et uxoris suae Semproniae. Qui excessit vita sex et quinquaginta annos natus, in eiusque faucibus vestigia livoris inventa sunt. Super eius laudibus exstat oratio C. Laeli Sipientis, qua 10 usus videtur Q. Fabius Maximus in laudatione mortui Scipionis; in cuius extrema parte haec verba sunt: *Quapropter neque tanta diis immortalibus gratia haberi potest, quanta habenda est, quod is cum illo animo atque ingenio hac e civitate potissimum natus est, neque < tam > moleste atque 15 aegre ferri quam ferundum [eum] est, < quod > numero mortem obiit et in eo tempore periit, cum et vobis et omnibus, qui hanc rem p. < salvam > volunt, maxime vivo opus est, Quirites.*

§ 17. Proinde quasi Appius ille Caecus viam muni-  
verit, non qua populus uteretur, sed ubi inpune 20  
sui posterii latrocinarentur.

Quoniam et augere poterat invidiam Milonis et commendabilem facere memoriam P. Clodi Appiae viae mentio,